



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. De consanguinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

sententia Judicis, ut inducat hoc impedimentum, ut docet Sanchez *d. loco*: ubi late disputat *num. 5.* an hoc quoque impedimentum oriatur ex incestu cum propriis consanguineis: Et negativè resolvit, eò quòd sit pœni, ac proinde restitendum; cum etiam textus, hoc impedimentum statuente, non loquantur expressè de incestu cum consanguineis propriis. Nec obstat, quòd hic incestus sit in segravior, quàm incestus cum consanguinea uxoris: quia non ita offendit matrimonium; quandoquidem ex illo non oriatur affinitas, nec impedimentum usus matrimonii; & incestus non tam sit impedimentum ratione culpæ quàm ratione affinitatis ab ipso orræ: hæc autem solum oritur cum consanguineis. Ita Sanchez *d. loco*.

Denique differentia hæc est inter incestum cum consanguinea uxoris, & cum consanguineo sponsæ de futuro, quòd ille impedimentum præstet perpetuum, impediens tam petitionem debiti, quam matrimonium contrahendum, non tamen contractum dirimens; hic verò sit impedimentum dumtaxat temporale, quoad matrimonium cum alia contrahendum, nempe quamdiu vivit sponsa, nam eà mortuâ potest sponsus ad nuptias transire.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate & Affinitate.

§ I.

De Consanguinitate.

1. 2. Cognatio naturalis quid sit, & quosuplex.
3. Agnati & Cognati qui dicantur.
4. Cognatorum alii Ascendentes, alii Descendentes, alii Collaterales.
5. Inter ascendentes & descendentes prohibita nuptia in infinitum.
6. Inter collaterales differentia, inter lra Civile & Canonicum.
7. Ea que prohibitio etiam inter servos obsinet.

Super est videndum de cognatione carnali seu naturali, quæ inter cætera matrimonii

impedimenta principalem ferè locum tenet, & consistit in consanguinitate, ad quam accedit ea personarum propinquitas, quæ Affinitas dicitur.

1. Cognatio Naturalis seu Consanguinitas est vinculum seu propinquitas sive coheræntia personarum, ex eodem stipite seu sanguine propinquo descendenti, vel quarum una ab altera verè descendit. Unde & Consanguinei dicuntur, quasi uno sanguine juncti.

Addidi, propinquo, ne quis inferat, nos omnes esse invicem cognatos, quia habemus communem parentem Adam unum: nam hic de propinquo parente agitur, cujus intuitu matrimonium vel permittitur vel interdicitur; *ext. singularis in can. i. xxxv. q. 2.*

2. Cognatio Naturalis generaliter sumpta dividitur in Agnationem & Cognationem specialiter dictam, contracta voce generis in speciem, quæ quia proprio nomine caret, voce generis appellatur: ad eum modum, quo adoptio generaliter sumpta dividitur in arrogationem & adoptionem specialiter dictam, alioqui Cognatio nomen generis est, & Agnatio semper speciei, & alterum civile, alterum naturale nomen est, *l. luru consultus § 1. D. de gradib. & affinitatibus.*

3. Agnati dicuntur, qui ex eodem sanguine per virilem sexum descendunt. § 2. *Instit. de legit. agnat. successione.* Et Agnatio est horum propinquitas.

Cognati verò specialiter dicuntur, qui ex eodem sanguine per matrem seu lineam femineam descendunt, *d. §. 2.* Et horum propinquitas dicitur Cognatio specialiter dicta. Cognatorum & Agnatorum differentiam sustulit Justinianus quoad successiones, *Novel. 118. de heredib. ab intestato venient. §. Nullum verò volumus.*

4. Cognatorum autem generaliter sumptorum alii sunt Ascendentes, ut parentes, qui scilicet nos genuerunt, veluti pater, mater, avus, avia, proavus, proavia, & qui supra hos sunt: alii Descendentes, ut qui ex nobis nascuntur, veluti filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, & qui ultra sunt. Nam licet apud Romanos Ascendentium nomen latius pateat, quàm Parentum, sicut & Liberatorum nomen angustus, quàm Descendentium, ut constat ex *d. l. luru consultus §. Parentes 7.* ubi parentes usque ad tritavam